

DOMINICA IV. POST PASCHA.

EVANGELIUM. JOANN. XVI.

IN illo tempore, dixit Jesus discipulis suis : Vado ad eum qui me misit, et nemo ex vobis interrogat me, quo vadis ? Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis : Expedi vobis ut ego vadam. Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos. Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, et de justitia, et de iudicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me : de justitia vero, quia ad Patrem vado, et jam non videbitis me : de iudicio autem, quia princeps hujus mundi jam iudicatus est. Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo : cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur a semetipso : sed quæcumque audiet, loquetur, et quæ ventura sunt, annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.

CONCIONES.

- I. Injurie in Spiritum sanctum quadruplices.
- II. Quatuor munia Spiritus sancti.
- III. Itinera aliquot bene præcogitanda.
- IV. Quatuor deplorandi Christi discessus.
- V. De mortis via præmeditanda.
- VI. Qua ratione diabolus doceat omnem falsitatem.
- VII. Tres funiculi salutis, de quibus arguit Spiritus sanctus malos Christianos.
- VIII. Documenta.
- IX. Mysteria.

CONCIO I.

INJURIE IN SPIRITUM SANCTUM QUADRUPLES.

- I. Quidam resistunt Spiritui sancto : 1. Qui desperant. 2. Qui præsumunt de misericordia Dei. 3. Impenitentes. 4. Obstinati. 5. Qui impugnant agnitam veritatem. 6. Qui fraternæ gratiæ invident. — II. Alii mentiuntur Spiritui sancto : 1. Qui vota non solvunt ex debito. 2. Qui vinculum matrimonii dissolvunt. 3. Qui proposita emendationis temere mutant. 4. Qui mentiuntur confessario. — III. Alii contristant Spiritum s. 1. Qui studiose committunt peccata venialia. 2. Impuri et iracundi. 3. Qui peccatum mortale committunt. — IV. Alii extinguunt Spiritum s. 1. Qui sæculo se addicunt. 2. Qui stimulos conscientia extinguunt. 3. Qui diabolo se devotent.

CONCIONES AUCTARI.

- I. Quomodo arguatur mundus de peccato, justitia, et iudicio.
- II. Cursus vite humanæ qualis.
- III. Quo fine missus homo in mundum, de eo rationem Deo redditurus.
- IV. Damna detractionis.
- V. Quam deceat Christianos veritas, dedecet mendacium.

THEMA.

Cum venerit ille, arguet mundum de peccato. Joann. XVI.

Gravia esse peccata quæ committuntur in Christum Dominum, nemo dubitare potest ; si quidem propter ea arguet mundum Spiritus sanctus, ut audivimus in evangelio. Sed audeo dicere graviora esse peccata in Spiritum s. Id enim testatur Dominus, Matth. XII. cum ait : *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis remittetur ei : qui autem dixerit contra Spiritum s. non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Quod si ergo Spiritus s. arguit mundum de peccatis quæ in Christum perpetrantur, non arguet eum de peccatis quæ in ipsummet com-

mittuntur ? Hæc igitur ut caveamus, quibus modis offendatur Spiritus sanctus expendemus.

Plures S. Scriptura commemorat injurias, quæ peculiari ratione tangunt Spiritum s. Alii enim dicuntur resistere Spiritui s. ut Act. VII. alii mentiri, ut Act. V. alii contristare eum, ad Eph. IV. alii eum extinguere, 1. Tim. V.

I. Quidam resistunt Spiritui s. quemadmodum testatur S. Stephanus, Act. VII. dicens : *Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui s. resistitis.* Hujusmodi autem sunt, qui Spiritui s. aditum præcludunt, dum remouent a se media et dispositiones ad Spiritum sancti gratiam comparandam requisitas, veluti timorem, spem, illustrationem, compunctionem, etc. Cum enim Spiritus sanctus ad se communicandum sit pronissimus, quemadmodum sol ad illuminandos omnes ; quisquis excludit media, quibus via ordinaria ad homines venire solet, excludit Spiritum s. adeoque ei resistit, sicuti qui valvas aliumve obicem soli opponit, ne domus illustretur ejus lumine. Hujusmodi vero obices numerantur a D. Thoma, II.-II. q. XIV. ar. II. sex, desperatio, præsumptio, impenitentia, obstinatio, impugnatio veritatis agnitæ, et invidentia fraternæ charitatis : quæ peccata irremissibilia dicuntur, quia vix remittuntur, cum ipsum remissionis principium impugnent.

Resistunt ergo Spiritui s. primo, qui desperant de Dei misericordia. Hi enim excludunt Dei opem quia sibi persuadent Deum aut non posse aut non velle mederi. Hinc in omnia vitiorum genera desperare se projiciunt. « Sicut infirmus, inquit auctor operis imperfecti hom. XL. donec medicriter habet aliquam passionem et sperat se posse curari, servat se a nocivis escis : si autem intellexerit insanabilem se jam esse jam non parcat : sic et homo donec medioeriter peccat, sperat salutem quantumcumque potest, observat se a malo : si autem graviter peccando cæperit desperare, jam nihil dubitat facere, quasi qui jam peccatis suis vincit iudicium Dei. » Hi ergo infallibiliter damnantur ; nam ut ait S. Aug. 1. L. homil. *Quomodo qui sibi collum ligant, inde se occidunt, quia non ad eos intrat spiritus aeris hujus : sic illi, qui desperant de indulgentia Dei, ipsa desperatione intus se suffocant, ut eos Spiritus s. visitare non possit.*

Secundo, qui præsumunt de Dei indulgentia. Hi enim cum ad sua peccata abutantur Dei misericordia, reddunt se illa indignos, sicut qui in ipsam ecclesiæ immunitatem peccat, v. g. qui in templo spe immunitatis patrat homicidium, indignum se facit privilegio immunitatis, uti statuitur, c. ult. de immunit. eccl. Præjudicant etiam Deo et sceptrum illi

eripiunt, trahendo in jus suum, quæ meræ Dei misericordiæ sunt. Denique cum ex Dei misericordia meliores fieri deberent, fiunt deteriores ; quod aliud non est, quam Dei clementiam vertere sibi in iram et vindictam, adeoque Spiritus s. bonitati januam præcludere. Ita periit Amon regis Manassis filius, qui ut scribit Glycas, p. II. annal. « Cogitationem quidem pravam apud animum instituit, cum secum ita loqueretur : Pater meus a puero multa scelera fecit, ac in senecta penitentiam egit. Quamobrem et ipse hac in ætate pro animi libidine me geram, et deinceps ad Dominum me convertam. Hac igitur de causa Deus penitentiam illius non expectavit, quando paternis calamitatibus nullo modo factus erat melior. » Hæc Glycas et auctor oper. imperf. in Matth. hom. 1. Interfectus enim est a servis suis anno regni sui, secundo ætatis 24. IV. Reg. XXI.

Huc pertinent qui sola in Christum fide sibi blandientes, vel in mediis peccatorum sordibus sibi et aliis cælum secure promittunt.

Tertio, impenitentes, qui dolere de peccatis et resurgere ad gratiam nolunt. Hi enim qui tot impulsus et objurgationes Spiritus sancti, quibus eos redarguit et hortatur ad penitentiam, aspernantur et vivunt semper in peccatis, quomodo non resistunt Spiritui sancto ? Hic enim ait per os prophetæ Jer. XIII. *Numquid qui cadit non resurget ? In quem locum S. Hieronymus ait : Humanum est cadere, diabolicum nolle resurgere.*

Quarto, obstinati, cui monitis Spiritus s. Ecclesiæ et pastorum ejus necnon parentum aliorumque superiorum aures ocludunt, juxta id Ps. LVII. *Furor illis secundum similitudinem serpentis : sicut aspidis surdæ et obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, etc.* Quales erant Judæi, quos redarguit S. Stephanus, loco supra cit. *Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus, etc.* Noluerunt enim ipsi aures dare evangelio, quod ipsis præ omnibus promulgavit Spiritus s. per os Petri in die pentecostes et aliorum deinde apostolorum. Talis erat Saul, qui a filio Jonatha monitus ne innocentem persequeretur Davidem, magis exacerbatus lancea eum configere nisus est, 1. Reg. XIX. Talis imp. Valens Arianus, qui cum decretum de ejiciendo in exilium Basilio scribere vellet, sella ejus sub ipso confracta est, et tribus adhibitis calamis, nullus eorum atramentum reddidit ; et cum nihilominus in proposito scribendi impium decretum persisteret, ipsius dextera dissolutis nervis tota contremuit. Insuper tunc uxor ejus intimis cruciata est doloribus et unicus filius in gravem incidit morbum. Quibus tamen omnibus nihil emen-

datus est. Talis item Boleslaus rex Poloniae, qui ut S. Stanislaum persequi desisteret, multis modis est admonitus: imprimis mortui suscitatione, qui testimonium vero sancto perhibuit; deinde militum quos in eum immiserat repressione per occultam vim qua divinitus tertio repulsi sunt. Quibus tamen nihilo melior factus impias ipse manus in sanctum iniecit. Ut in breviario.

Quinto, qui impugnant veritatem sibi perspectam. Quid enim hoc est aliud, quam lucem meridianam excludere et velle in tenebris errare? Tales illi qui dicebant Christum in Belzebub ejicere dæmonia, Matt. XII. Item qui non ex infirmitate aut ignorantia, sed ex certa malitia peccando obsistunt sanctificationi Spiritus s. Tales illi Hebræi, qui derelicto Deo suo de vitulo dixerunt: *Hi sunt dii tui Israel, qui te eduixerunt de terra Egypti*, Exod. XXXII. Tales et de quibus ait Dominus: *Si non venissem et locutus eis fuisset, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent*, Joann. XV.

Sexto, qui fraternæ gratiæ invident. Hi enim ligare volunt manus Spiritus s. datori honorum omnium, ne in alios sit liberalis. Sed hoc ipso ligant sibi ipsis franguntque aliis pontem, per quem transire ipsimet debent, adeoque etiam sibi. Terribile hujus rei exemplum præbet nobis Theophilus imp. (auctore Cusp. in Cæsariis.) « Qui ex gravi dysenteria salutis suæ nullam spem habens, vocato ad se senatu juramentum exegit, ut uxorem filiumque pro regibus susceperent, eosque servarent: quod promissum factumque est. Cœpit autem maxime suspectum habere Theophobum, quem ipse Persis præfererat, a quibus et ipse rex fuit, licet invitus, appellatus. Dum igitur paulatim corpus insumitur, Theophilus metuens ne se mortuo Theophobus regnum invaderet, eum intra regiam contineri jubet. Et jam animam agens Theophobus jubet trucidari et ejus caput afferri, quod manibus suis contrectasse fertur iis verbis: Nec tu posthac Theophobus, nec ego Theophilus ero. Hoc dicto animam efflavit, cum duodecim annos et menses tres regnasset. » Hunc tamen Gennadius scribit ad extremum penituisse, precibus uxoris intervenientibus, ut alibi diximus.

II. Alii mentiuntur Spiritui s. uti docet S. Petrus, Act. V. ubi redarguens Ananiam ob fraudem factam et voti violationem ait: *Cur tentavit Satanus cor tuum, mentiri te Spiritui s. et fraudare de pretio agri?* Quo audito repente extinctus est plaga divinitus inflata: quemadmodum et paulo post uxor ejus, ob simile mendacium.

Mentiuntur autem Spiritui s. primo, qui vota

sua sacrilege solvunt aut defraudant Spiritus, enim sanctus est, qui inspirat vota; ergo in illius injuriam tendit eorum effractio. Sane Lev. XXVII. præceptum legimus ne quis rem Deo votam immutaret, nec meliorem mala, nec pejorem bona daret. Id cum aliquando Clodovæus Francorum rex minus exacte observasset, per miraculum eruditus est. Nam cum Alaricum Visigothorum regem prostravisset, ac persolvendi voti causa equum qui victor inisset, Beato Martino Turonis obtulisset, actum est, ne equus ecclesiæ relinqueretur, sed regi et ecclesiæ commodius futurum, si pecunia redimeretur. Clodovæus igitur centum aureos solidos obtulit, equus parvo se æstimari animadvertens immobilis extitit, neque reduci se passus est. Cum autem Clodovæus pretium duplicasset, quasi æquiore se pretio æstimatum equus novisset, in viam se dedit, et reduci passus est. Id memorat Greg. Turon. et ex eo Vinc. hist. lib. XXII. c. XIII. Naucler. Gener. XVII. Krantz. in Suecia, lib. III. cap. XV.

Secundo, qui vinculum matrimonii dissolvunt. Spiritus enim s. qui est vinculum seu nexus Patris et Filii, idem sua gratia sacramentali sociat conjuges per amoris vinculum, roborat ab superandas illius status difficultates, inclinat ad amorem mutuum et restringit amores illicitos; idemque est præses Ecclesiæ totius, in cujus facie promittunt sibi mutuam fidem conjuges. Mentiuntur ergo Spiritui s. qui fidem illam violant.

Tertio, qui proposita emendationis temere mutant, et relabuntur in pristina vitia. Credibile est Ananiam et Sapphiram non expressum votum, sed tacitam tantum rerum suarum abdicacionem fecisse; et tamen asserit Petrus mentitos esse Spiritui s. et muletantur pœna mortis. Igitur qui post emendationis promissa temere resilit in peccata dimissa, qui spondit se injurias remissurus et non remittit, aliena restitutum et non restituit, viderit annon imitetur Ananiam et Sapphiram.

Quarto, qui mentiuntur confessario, supprimendo vel perperam excusando peccata sua. His enim dicere confessarius potest, quod Sanctus Petrus Ananiæ dixit: *Non es mentitus hominibus, sed Deo*; et imprimis Spiritui sancto, qui est Spiritus veritatis et sinceritatis, qui que eo tempore expectat confitentem, ut per suam gratiam inhabitet in illo.

III. Alii contristant Spiritum sanctum, teste apostolo ad Eph. IV. cum ait: *Nolite contristare Spiritum sanctum in quo signati estis in die redemptionis*, id est, baptismi. Hoc autem faciunt (quantum est in ipsis) primo, qui venialiter licet studiose tamen et data opera peccant;

quia talia peccata relinquunt post se in animo aliquid amaritudinis: quod non faciunt ea. quæ ex inadvertentia committuntur. Illa igitur contristant Spiritum sanctum quia maculant et infestant domum ejus, animam, et privant eam multis favoribus, quos alioquin reciperet a Deo; perturbant et distrahunt in oratione, etc. Ita contristaret conjugem maritus, si alienam uxorem induceret in domum, eique familiariter assuesceret ac blandiretur, si colluderet cum ancillis.

Secundo, impuri et iracundi, ut colligitur ex prædicta apostoli sententia, cui immediate præmittit hæc verba: *Omnis sermo malus (Græce putris seu corruptus) ex ore vestro non procedat*. Patris autem sermo est, qui sale prudentiæ non est conditus, sed amarulentia et odio infectus, unde ib. subdit: *Omnis amaritudo et ira et indignatio et clamor et blasphemia tollatur a vobis*. Et quemadmodum apes fugiunt putredinem et fœtorem resque amaras, alliciuntur vero dulcibus et odoriferis, uti melle, lacte et virgultis bene olentibus; ita Spiritus si moleste fert impuritatem et iracundiam, etiam quæ culpa mortali caret, quia Spiritus sanctitatis et amoris est. E contra allicitur, et suaviter retinetur, cum linit homo vas cordis sui cogitationibus, verbis et operibus mundis, mansuetis, benignis. Unde subdit apostolus: *Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invisem*.

Tertio, qui peccatum mortale admittunt. Hi etiam cor suum introducunt diabolus, cum quo consistere nequit Spiritus s. Necessario igitur expellitur, quomodo Henricus VIII. Angliæ rex introducta pellice Anna Bolena expulit Catharinam conjugem suam legitimam, cui Anna inservierat. Jam enim antea in hanc procaces oculos conjecerat Henr. Spond. anno 1532. An hoc forte non est contristare Spiritum sanctum? Adimere ei arcem tot laboribus et pugnis occupatam? Arcem jure possessam, summe dilectam, splendide exornatam? Huc etiam videtur respexisse apostolus proxime cit. loco cum ait: *Nolite locum dare diabolo*. Subdit enim paulo post: *Et nolite contristare Spiritum s.* Quemadmodum ergo fumus et teter odor fugat ex alvario apes, sic peccatum Spiritum sanctum.

IV. Alii extinguunt Spiritum s. ita videlicet, ut etiam fugatus et pulsus nequeat ad eos redire, et reverti in suam arcem, apostolo testante, qui 1. Thes. V. ait: *Spiritum nolite extinguere*, id est, impurum et lumen Spiritus s. Hoc autem faciunt primo, qui terrenis desideriis, sæculi negotiis, ac voluptatibus totos se addicunt, ita ut tempus et otium non habeant audiendi vocatus et impulsus Spiritus s. vel

cernendi lumen ab eo accensum. Ut enim ignis in lychno extinguitur, si pulverem ei inspergas aut aquam (quemadmodum scribit S. Chrysostomus in unum locum) ita et Spiritus s. cum occupas te desideriis, voluptatibus et negotiis terrenis. His enim velut aqua aut pulvere obruis lumen et impulsus, quos excitat in te, atque ita non apparet, qua ratione peccatis tuis obsistere, et currentem te ad infernum retinere queat.

Secundo, qui stimulo conscientiæ extinguunt, dando se voluptatibus, ebrietati, etc. ne reclamantem audiant. Reperiuntur enim, qui in certo ac continuo statu peccati vivunt, sed ne objurgentur a sua conscientia, frequentant convivia, choreas, ludos, venationes; et ita fugiunt seipsos, nec unquam ingrediuntur suam conscientiam. Sic volebat extinguere Spiritum sanctum in filio suo Josaphat rex Avennir, ut scribit Damascenus, procurando, ne quid triste, quo ad finem christianam et religiosam permoveri posset, ei proponeretur. Fugiunt isti viros religiosos, concionatores et conciones, libros pios, et quæcumque ipsos redarguere ac scrupulum eis possunt injicere, imo propriam conscientiam. Quemadmodum elephas suammet speciem timet, ideoque non ex limpida, sed ex turbida tantum bibit, (Pier. lib. II. hierogl.) ita isti fugiunt omnia, in quibus suam possent cernere fœditatem, et ideoque turbant, atque obscurant suam conscientiam voluptatibus, ebrietate, etc.

Tertio, qui se devovent diabolo, quæ extrema est nequitia. Hi enim Spiritui sancto ne ab eo visitari, et reduci ad salutem possint, omnes præcludunt aditus. Incredibile est quantæ molis sit homines ejusmodi dæmoni eripere, ut ex pluribus historiis patet. Earum recentem unam ad longum narrat Martinus Delrio soc. Jesu, l. VI. disquisit. mag. capit. II. s. III. q. III. d. juvene Pruteno, qui cum parentum gratia excidisset, et domo profugere coactus pecuniam absumpsisset, dæmonique data syngrapha sese devovisset, anno 1600. Græti opera Patrum societatis liberatus recepit syngrapham suam propria manu (quam ei compresserat dæmon, indeque sanguinem ad descriptionem expresserat) scriptam; sed quantos post labores? Obstetit siquidem ei dæmon visibili aspectu. nunc minis eum terrendo; nunc perfidiam exprobrando; nunc blanditiis mulcendo; nunc os ocludendo, ne fidei professionem edere; nunc oculos et aures obserando, ne pia verba legere vel audire; nunc in aerem attollendo, ut vix a decem viris retineri possat: alias vultum pallio diverberando, manum sinistram lacerando ad sanguinis effusionem, collum torquendo. Ad

extremum juvenis opes. confessionis et communonis ab infestatione hostis liber quidem fuit, syngrapham tamen suam, quam illi dæmon de fastigio templi ex ingenti fune dependentem repræsentarat, nondum obtinere potuit. Decima igitur die junii patres societatis : « Domi se rursus contra inimicum armant quibus modis novit societas. Juvenis quoque ne sibi deesset, tota die cilicium gestat, et se sub vesperam sponte flagello acriter diverberat. Ingens rursus tum eo vespere, tum noctis magna parte ventus collegium impetit. Ante undecimæ noctis adest inimicus alio aliave comitatus, et per cubiculum, in quo cum aliis tribus juvenis cubabat, deambulans : Cernis (inquit ad sociam, nam saga quæpiam existimatur) ut jacet hic nequam ? Et rursus : O si aliter rem meam instituissem, non esset hunc sortita finem. Ante octiduum pene me abegisset (patres intellexit). Interim tibi hominem commendo, eum quantum licuerit assidue divexa. Et conversus ad juvenem fremebundus : Perfide nebulo, homoque levissime et inconstantissime, nunquam fidem mihi servastis ; o pectus ignobile ac degener. Majores tui maluissent centies corporis animæque facere jacturam, quam vel semel datam fidem violare. En tu habe, quæ mihi dederas : ego vicissim, quod meum est reservabo. Et hoc dicto, bis aut ter juvene audiente strepitum fecit, velut cujuspiam aliquid e charta eradentis. Et rursus sociæ : Pergam ad locum mihi constitutum, tu interim hujus curam habeto. Rursusque juveni : Et existimas, perditæ nequam, fore meas manus ut evadas ? Coactus nunc tibi tua restituo. Tu interim et jesuitæ nebulones me posthac a stultis confictisque cæremoniis vestris liberum esse sinitote : quod enim tuum sit, nihil omnino habeo. licet plurâ longe posthac ex te sim accepturus. Fides enim quam suscepisti iniqua est, et per papas (quos vos veluti sanctissimos colitis, ego autem in inferno tracto pro merito) conficta. Quibus dictis et manu frigidissima juvenis collo sine omni læsione contrectato, evanuit. Ad omnia hæc juvenis nihil respondit, excepto hoc unico ; videlicet, ut abiret, habere se Deum propitium. Inter hæc juvenis cæteros in cubiculo altum dormientes suscitare conabatur, eorum nomina inelamans ; quorum unus æger vocem audit, prosilit in pedes, et ad alterius sani lectum accedens eum excitat. Hic ignem excutit e pilice, sulphur accendit, sed priusquam candelæ admoveret, violenter ab aliquo extinguitur, idque secundo : accendit tertio, jamque candela lumen conceperat, cum simul et semel materia sulphurata candelæque restinguuntur. Tandem venit homini in mentem ut cereum

benedictum accenderet ; accendit, nec amplius valuit restingui. Habito lumine inimicus evanuit, et quamvis semel ac iterum dixisset, se juveni restituere omnia quæ ipsius essent, nihil tamen ab eo juvenis receperat. Componunt igitur se ad orationem et qui lumen accenderat, ante imaginem B. Virginis litanias recitat, ante imaginem B. Virginis litanias recitat. Post mediam circiter horam surgens videt humi jacere chartam sanguinolentam, attollit, eique porrigit, cujus erat chirographum. Hic agnito suo chirographo gestire lætitia cepit, exoseculari illud et pectori admovere : et illico Deo omnes simul agunt gratias, et quatuor simul (tot enim erant) recitant Te Deum laudamus. Et, ne forte dæmon illud recuperare posset, signo crucis muniunt, aspergunt aqua benedicta, et corona B. Virginis circumligant. Placuit tandem serenissimo principi Ferdinando archiduci, (nunc Romanorum invictissimo imperatori) et reverendissimo episcopo Secoviensi, ut series tota et processus pro concione populo proponeretur, quod factum est 18. junii a meridie, et ipsum chirographum una cum sanguine, quo alterum descriptum erat, in templo soc. Jesu per parochum Grætiensem, jussu episcopi, in magno hominum concursu, et frequentia combustum fuit. »

CONCIO II.

QUATUOR MUNIA SPIRITUS SANCTI PRINCIPALIA.

I. Paraclitus seu consolator est : 1. Consolatur Ecclesiam ut sit fidelis. 2. Fideles ne succumbant in tribulationibus. 3. In via mandatorum Dei. 4. Ne quis animo concidat. — II. Arguit mundum de peccatis : 1. Per conscientie stimulum. 2. Per concionatores. 3. Per bona aliorum exempla. 4. Per clades et castigationes. — III. Docet omnem veritatem. — IV. Clarificat Christum.

THEMA.

Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Joann. XVI.

Novimus Spiritum s. in die pentecostes sub specie ignis descendisse in apostolos. Et cur in specie ignis ? Haud dubie, quia quod ignis corporaliter, hoc ipse præstat spiritualiter. Et quid facit ignis ? Calefacit et fovet tempore frigoris, urit, illuminat, illustrat et splendescere facit, maxime corpora radiantia ut gemmas, aurum, etc. Totum hoc Spiritus s. facit ut ostendit hodiernum evangelium. Nam imprimis fovet, et consolatur in tribulationibus, unde dicitur Paraclitus : ecce ignem calefacientem. Secundo, arguit mundum : ecce ignem urentem. Tertio, docet omnem veritatem : ecce ignem illuminantem. Denique, Christum clarificat : ecce ignem illustrantem. Videamus singula.

Paraclitus est, seu consolator : et hoc præcipuum est ; inde hanc appellationem Christus ei tribuit. Indigebat Ecclesia tali Paraclito, ob Christi sponsi sui absentiam : quem non nisi post mortem visura erat. Quomodo vero tam diurnam sponsi absentiam ferre posset sponsa, nisi divino aliquo consolatore confirmaretur ? Deinde, ob gravissimas persecutiones, quas multo tempore toleratura erat ne deficeret. Denique, via cæli arcta est, multis difficultatibus obnoxia, multis latronibus obsessa, ne in tentationibus succumberet. Quare sicut mater infantem deserens, nutricem ei relinquit, et pater filium a se ablegans, pædagogum ei assignat, ita Christus ab Ecclesia recedens non reliquit eam orphanam, sed Paraclitum ei dedit.

Consolatur ergo Ecclesiam, primo : ut fidelis sit usque ad mortem, et patienter expectet beatam illam spem et adventum magni Dei. Cum enim fideles in vita sua non expectent mercedem, sed post mortem, nec videant eam oculis, sed sperent tantum : consolatur interim eos, ne deficiant animis, mittit enim illis subinde consolationem aliquam, sed per modum prægustus, non saturitatis : sicut cum aucupes falconibus carnem prægustandam offerunt, ut alacriores ad venatum reddant, non vero ut saturent. Dicit eis Spiritus sanctus repositam illis esse in cælo mercedem : pergant igitur, et augeant merita sua.

Secundo, consolatur fideles in afflictionibus et tribulationibus ne succumbant, sed præterea gaudeant in illis. Sic Andreas in cruce pendens, tanta perfundebatur consolatione, ut deponi nollet, et rogaret Deum, ne id permetteret ; quia nimirum virtutem s. crucis agnovisset. Sic in trium primorum Ecclesie sæculorum persecutionibus misit subinde imperatorem, sub quo respirare possent : persecutores dicit afflixit et sustulit, aliisque plurimis modis eos consolatus est. Dicit eis Spiritus sanctus : *Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.* 1. Cor. X. et : *Omne gaudium existimate, fratres, cum in varias tentationes incideritis,* Jac. 1. Dat subinde tempus respirandi.

Tertio, consolatur in via mandatorum Dei, et facit jugum Christi suave, quod prius horrebant et fugiebant. Ungit currum, ut facile et sine stridore trahatur. Unde S. Bern. ait : *Homines vident crucem nostram, sed non vident unctionem nostram.* Videtur in curru onus, sed non axium inunctio, quæ leve illud fecit. Unctio hæc est gratia adjuvans, exemplum aliorum et Christi, consolationes internæ, spes mercedis, etc.

Quarto, ne cum quis peccaverit, desperet sed recurrat ad Dei benignitatem quasi illi insurrens id Ecclesiastici, c. XXI. *Fili, peccasti ? Non*

adicias iterum : sed et de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur : et illud Salvatoris : Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua, Matth. IX. et illud Dei, Isai. 1. *Venite et arguite me, dicit Dominus, si fuerint peccata vestra et coccinum, quasi nix dealbabuntur,* q. d. peccata vestra etiam horrenda et gravissima dimittam, si feceritis opera charitatis ; quod nisi fecero, venite et intendite mihi litem.

II. Arguit mundum de peccatis. Facit autem hoc multis modis. Primo, per conscientie stimulum. Hic enim instar canis excubitoris, alienos ingredientes domum, (peccata inquam, cor intrantia) allatrat, et stans præ foribus non desinit latrare contra domum, quousque illi egressi fuerint. Sic Gen. IV. dicitur Cain : *Si male egeris, statim in foribus peccatum aderit,* Hebr. *æcuu habet,* instar canis videlicet furem allatrantis et insequentis. Canis autem iste excitatur ad hunc latratum a Spiritu sancto, et signum est horum nimirum quod Spiritus sanctus velit repetere suum habitaculum et expellere hostem, peccatum : sicut cum quis dux perditam civitatem mox iterum obsidet et repetit, signum est, quod non facile eam in manibus hostium relicturus sit. Qui vero post peccata gravia latratum hunc non sentiunt, timere debent, ne a Spiritu s. omnino deserti, et in sensum reprobum traditi sint.

Secundo, per doctores et prædicatores, qui et ipsi canes vocantur in ss. litteris, et redarguunt velut canes muti, non valentes latrare, ab Isaia, capit. LVI. quando non arguunt peccata. Dum vero contra vitia latrant, multos impediunt, et retrahunt a peccatis ; uti canes impediunt furto. Deinde, furto rem ablatam recuperant, dum peccatores ad penitentiam revocant. Denique saltem Dei justitiam elucidant, dum toties frustra reprehensos ostendunt dignissimos, qui a Deo puniantur. Quare si per hoc allatremur, habemus quod Spiritui sancto gratias agamus ; siquidem ipse immittit in nos canes istos. Stulte igitur agunt, qui eos mordent, velut canis baculum quo percussus : ipsi enim instrumenta Spiritus sancti, et ad medelam nostram missi sunt. *Meliora sunt vulnera diligentis quam fraudulentæ oscula blandientis,* ait Sapiens, Prov. XXVII. Quamdiu ergo tales supersunt qui nos arguant, tamdiu Spiritus sanctus a nobis non recessit. Hujusmodi canes erant Joannes Baptistæ, immisus in Herodem, Basilius in Valentem, Ambrosius in Theodosium, et in veteri lege Nathan in Davidem, Elias in Achabum, etc.

Tertio, per bona exempla, et vitam sanctam, atque austeram illorum, qui tibi similes et ejusdem tecum naturæ sunt. Cum enim aliorum sanctitatem et tuam improbitatem vides, sug-